Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 235
Quelle:
Copyright:

nobili ortus in hierusalem &c. Sed nemini imponat; non enim *Hervei* est, ut praefertur, verum *Isidori Hispal.* excerptus e Libello *de ortu et obitu Patrum*, edit. *Paris.* 1601. p. 531. f. Commentarii porro ipsius initium est: *Visio ysaie — Subintelligitur in primis hec est. ut ita sit integer sensus* &c. Et finis: *ut tanti laboris mercedem in futuro seculo mibi restituat, qui uiuit* &c. Addidit Librarius:

Per calami florem lector perpende laborem
Obsecro scribentis, seriemque futura canentis.

II. *fol.* 270. p. 2. ἀνεπιγραφως *Petri Blesensis* Archidiac. *Bathoniens.* Scriptoris Sec. XII. *Compendium in Job* cum Prologo, qui infit: *Heinrico Dei gratia illustrissimo anglorum regi* (II.) *Duci normanie et aquitanie et comiti andegauie Suus Petrus — Gratias ago gratie largitori* &c. Nihil perfectius edito inter *Opera omn. Paris.* 1667. p. 407. f. situ passum et abruptum in verbis: *sub verborum paucitate declarat.* Itaque, quae sunt *Cap. XLII. Job*, deperiere. In Theca postica Codicis legas: *Anno domini M° quadringentesimo quinto fuit tanta karistia tritici quod metreta dabatur pro 1. libra denarior.* Aequiparari potest haec Rhenensi nostro, quorum quinos jam aevo nostro *Metretae*, seu Modii pretium superavit.

CLIV.

U. 32 Codex membraneus sub finem charta subpletus lat. Sec. XIV. Folior. 185. f. per duas columnas manu sat difficili exaratus, rubricis distinctus, et, ut praevie notatur, Ducali Collegio Vien. testamento legatus a saepe memorato *M. Thoma Ebendorfer de Haselbach* continet *Hugonis a S. Caro* ex Ord. Praed. ad Romanam purpuram adsumti, Sec. XIII. Scriptoris *Postillas in Isaiam*, unde Titulum praefert: *Dominus Hugo postillator super Ysaiam.* Initium est: *Habemus firmiorem Sermonem propheticum* &c. Extant in Edit. totius Corporis *Postillarum* Nostri *Lugd.* 1645. f. T. IV. *Fol.* 18. ad marginem interiorem legitur: *Iste liber est beate Virginis marie in valis deij;* quo loco designari putem Coenobium Ord. Cist. in *Austria* infer. ad *Istri* et *Isidis* confluentes dictum *in Valle Dei* vulgo *Seissenstein*, nunc extinctum. Unde porro illum habuerit *Haselbachius*, ad calcem manu sua testatus est: *Hunc librum donauit michi Thome de haslpach Bertholdus mutarius in lyncz quem fecit ligari et vt cernitur finiri expensis proprijs.* Quo anno id factum, docet Theca postica interior: *Hij XII. sexterni in pergameno dati sunt M. Thome de Haselpach a Bertholdo mutario in lyncz quos fecit prius compleri et ligari* 1432. *Mutarius* (germ. Mautner) Vectigalium perceptor est a *Muta* (Maut) Vectigali ipso, seu etiam loco, ubi id penditur, jam *Ulphilae*